

Za  
2503

Scherzdisputation

z. Hochzeit d.

Tob. Biederman u. d. Regina Siegelin

(1662.)

Z

R

g. m. c.

H



1406. 7. 279

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

REI UXORIE ET EX STIPULA  
TU ACTIONIBUS CONFUSIS,

Quam

Amplissima Facultate Venerea permittente,

Ipsaq;

Invictissimo amorum Præside

CUPIDINE

dirigente

sub Protectione

VIRI

PRÆCLARISSIMI ATQ. PEREXIMII

DN. TOBIÆ BRESERIANI

J. U. C. ET PRACTICI,

PRO LICENTIA

ad maritalem promotionem consequenda,

liberrimo Dæ Cypriæ Ordini fidelissimè

addictis,

*Festisq; Nuptialibus XVII. Cal. Jul.*

*A. imperantis Leopoldi V.*

Ad gaudia solennia congregatis publicè  
ventilandam proponit

SPONSA RESPONSURA

VIRGO ET FORMA ET PUDICITIA ORNATISSIMA

REGINA SÆBESIANI

Typis mandata ab Ænea Anania Chrizbovio.





## Prooemium.

**R**em in præfenti non minimam aggredior; sed in toto penè corpore notabiliffimam, arg. l. i. pr. C. de rei uxor. act. rei sc. uxoriæ & ftipitis, fivè ex ftipulatu actionis communionès & differentias confideratura. Quo- niam verò id demum perfectum, quod ex omnibus fuis parti- bus conftat, & principium cujusq; rei potiffima pars eft, per l. i. ff. de orig. jur. hinc de vocibus, quarum cognitio ἀρχὴ τῆς παρα- δέουσης ab Epicteto dicitur, anteqvam ipfam rem uxoriã ag- grediar, impræfentiarum quædam præmittam.

Th. I. Res uxoria igitur denominatur ab uxore, pars à toto: Uxor autem appellatur qs. uftum cor, quia ejus cor amore u- rit, aut urere debet erga maritum; eftq; ejusdem etiam ori- ginis cum ira (v. Becmann. de orig. lat. ling. in voc. uro) quia facilè, fi maritus cum re uxoria fecundum nutum & volunta- tem ipfius non femper agit, excandefcit.

Th. II Stipulatio, ftipulatus descendit ab antiquo voc. ftipu- lum, quo Veteres firmum vocarunt, pr. Inst. de V. O. Hoc ve- rò à ftipite, & ftipes quafi ftans pes dicitur, fi baculum aut trun- cum (einen Stock) fignificat: vel fi instrumentum (de quo plu- ribus infer.) ex quo res uxoria dotem recipit, qs. ftans penis. Hinc etiam derivatum germanicum *fteiff* / quod Saxonix infe- rioris populi *fteiff* pronunciant, i. e. firmum & immotum.

Th. III. Res uxoria i. fumitur in fenfu communi, & qui- dem vel latè pro quibusvis, quæ uxoris funt: vel ftrictè pro eo membro, quod mulieres, fi forte fortuna manibus earum ali- quid excidit, frequenter nominare folent. 2, In fenfu juridi- co, & iterum vel latè, pro quibuscunq; mulierum bonis, arg. l.

l. §. i.

l. §. i. junct. gl. in voc. universo lit. e. ff. pro dote: & l. 7. §. 16. inf. ff. solut. matrimon. Vel strictius pro genitalibus vasis mulierum, prout Dn. Carpz. p. 4. c. 31. d. 1. n. II. etiam videtur accepisse. Et hæc significatio est hujus loci præcipua. Vel strictissimè pro dote sive *δόσει* (v. Becmann. de orig. lat. ling. in voc. do) quam maritus uxori ad ipsius postulationem debet, l. quod autem 23. & l. ita constante 26. ff. de jure dotium. Et germanico idiomate dicitur *etne Morgengabe* / à potiori sc. quia sub illucescente die mariti eam quam maxime solvere coguntur.

Th. IV. Stipulum propriè significavit firmum, J. pr. de V. O. *das verpfählet und verstopffet ist*; & stipulatio actum quo aliquid firmum, fixum & immotum efficitur, *dadurch etwas verpfählet und verstopffet wird*. Impropriè autem stipulum dictum est de re certa & indubitata, & stipulatio de actu quodam juris civilis, quo certis verbis quis interrogatus similiter se aliquid facturum respondet & promittit, per quam certorum verborum observationem actus aliquis aliàs de jure civili invalidus olim convaluit. l. 5. §. 1. ff. de V. O.

Th. V. Actio rei uxoriæ aliàs dicitur actio de dote l. 24. §. 1. ff. solut. matrim: Impositio membri virilis in vas muliebre Dn. Carpz. p. 4. c. 30. d. 4. n. 2. Cultus agri uxorii arg. l. 9 ff. soluto matrim. Conjunctio maris & fœminæ l. 1. ff. de ritu nuptiarum §. 1. J. de nuptiis. Stipulatio l. un. §. 1. C. de rei uxora act. Conjugium, nuptiæ d. §. 1. J. de nuptiis & t. t. de ritu nuptiarum; quanquam hæc de solennitatibus antecedentibus hanc actionem, & de cohabitatione saltem conjugum frequentius usurpentur. Coitus arg. l. 2. ff. de ritu nuptiarum. Debitum conjugale can. sciatis. caus. 32. q. 4. Conjugales amplexus d. c. sciatis. Opus conjugale. D. Hieronymus in vig. Pasch. de esu agni. & c. fraternitatis 4. c. de matrimonio contracto.

Th. VI. Ipsa res uxoria aliis, præter communia, quæ lubens prætereo, nominibus appellatur vas muliebre Dn. Carpz. p. 4. c. 30. d. 4. n. 2. Pudenda, d. p. 4. c. 31. d. 1. n. 7. Causa uxoria l. 1. ff. de fide instrument. Matrimonium l. 2. ff. soluto matrim. Vel etiam dos, per meton. continentis pro contento. l. un. §. 3. C. de rei uxor. act. quæ instrumenta recipit: quamvis sæpius, ut th. 3. dictum, in aliâ significatione accipiatur.

Th. VII. Stipes aliàs vocatur instrumentum, quod res uxoria siue dos recipit d. l. un. §. 3. C. 4. rei ux. act. Stimulus naturalis, arg. d. l. un. §. 10. Patrimonium, Testimonia, per synechd. partis pro toto, arg. l. 1. ff. de fide instrumentorum.

Th. VIII. Hæc de ὀνομασιολογία dicta sufficiant. Ad ipsam rei uxoriæ cum ex stipulatu actione conjunctam me converto, quæ an sit, quisq; in se quærat ipse. Neq; enim, quæ luce meridiana clariora sunt, probatione ulla indigent. Quæstio autem, Quid sit, consideranda mihi venit, vel respectivè, respectu sc. certorum individuorum, sicq; mihi soli cum solo Dn. Præside hanc quæstionem resolvendam reservo: Vel absolutè, sicq; consideratam rei uxoriæ cum ex stipulatu actione confusam definitio, quod sit *actio mariti* stipulantis in rem uxoris, qua dos debita, diu expectata, & tandem concessa amborum consensu ad maximam Reipublicæ utilitatem latis spiritibus persolvitur.

Th. IX. Genus est actio, non in sensu communi considerata, quatenus actiones humanæ quælibet pro actibus humanis ponuntur; sed in sensu juridico, & quidem non abstractè, prout saltem jus est alicujus facti exercendi; sed concretè, quatenus sc. ipsum hoc jus ipso actu exercetur.

Th. X. Dividitur autem hæc actio ratione causæ instrumentalis, vel objectorum in justam & legibus permissam: & illegitimam, legibusq; prohibitam, quæ spretis hisce non ob finem principalem; sed tantùm ob secundarium instituitur,  
nec

nec nomine matrimonii aut dotis digna aestimatur. arg. l. 3. ff. de jure dotium.

Th. XI. Hanc sepono. De illa vero pluribus actura causam ejus efficientem considerare necesse habeo. Hæc vel est ipsius actionis; vel solennitatum circa eam instituendam observandarum. Ipsius actionis causa efficiens alia est essentialis: alia accidentalis. Illa iterum est vel principalis, nimirum invictissimus amorum Præses, qui instinctu quodam naturali nos ad hanc actionem illectat, arg. l. un. §. 4. 13. 14. & 17. C. de rei ux. act. pr. J. de J. N. G. & C. vel instrumentalis. Hæc (*ναὶ ἀγαθῶν*) i. non sunt cœlibes. Si enim nuptiæ secutæ non fuerint, ex stipulatu agi non potest per express, text. l. 41. §. 1. ff. de jure dotium, & dos non debetur, nisi sub conditione, si matrimonium fuerit secutum, D. Struv. synt. jur. feud. c. 14. §. 17. n. 6. ibidemq; all. Dn. Carpz. & alii Dd. Neq; 2. plures viri & una uxor, quemadmodum in provincia Tartariæ Canictu magno quondam Chamo subjecta mariti advenas quoscunq; Deorum suorum gratiam hoc ipso promerituri ad hanc actionem multis precibus invitarunt, de quibus v. Navigat. novi orbis, quæ Johanni Hutichio adscribuntur, in nav. M. Pauli Venet. l. 2. c. 18. p. 380. Et Regis Calechut uxores singulas decem sacerdotes continuo comitantes prolubitu compresse- runt, quod tanquam Regis maximum honorem. nullum ho- noratiorem titulum eidem præferentes. apud advenas jacta- runt incolæ. d. Navig. in nav. Aloysii Cadamusti c. 75. p. 80. Neq; 3. unus maritus & plures uxores, ut apud Turcos quidem, aliosq; orientis populos juris est. Neq; 4. plures viri & plu- res foeminae; prout incolæ Calechut, & populi nonnulli A- mericæ supra Canarias magnas habitantes maximum amici- tiæ signum esse sibi persuasum habent, quando uxores & filias suas amicis prostituendas tradunt, & prostitutas recipiunt, de quibus v. d. Navig. in nav. Americi Vesputii prima p. 160. &

nav. Ludovici Rom. patric. lib. 5. p. 240. Neq; 5. generalissimè omnes cum quibuscunq; obvenientibus, ita ut cum quavis cuivis hanc actionem instituere liceret. Hanc enim bestialitatem Jus gentium à primordio statim hominum semper repudiavit. Neq; 6. castratus, in quo dos non est l. 39. §. 1. ff. de jure dotium; aut mulier vitio naturali coitum impediente laborans c. ex literis. 3. X. de frigid. & maleficiat. Neq; 7. impuberes pr. J. de nuptiis, quia non possunt reddere debitum c. quod sedem 2. X. d. t. Nec obstat c. juvenis 3. X. de sponsalibus & matrim. quia non loquitur de hac actione, sed de cohabitatione saltem & nuptiis, quas consensus facit, non concubitus; id quod verba expressa indicant: ex humana tamen fragilitate forsitan tentavit, quod complere non potuit. Neq; 8. mortui. Tartaros enim connubia mortuorum liberorum celebrantes deridemus, v. d. Nav. in nav. M. Pauli Ven. c. 38. p. 355. Sed 8. (κατὰ θεοῦ) unus maritus, qui dotem dat, sive suo die ad petitionem mulieris solvit l. 24. §. 2. ff. soluto matrim. & una uxor, quæ dotem in sinum recipit, arg. l. un. §. 2. C. de rei uxor. act.

Th. XII. Hic quæri solet quantum facere teneatur maritus: & respondetur ex l. 12. ff. soluto matrim. & l. un. §. 14. C. de rei uxor. act. eum in id, quod facere potest, condemnari. Imò licet pactus sit, se plus præstare velle, tamen ad hoc pactum non restringendus, quia contra bonos mores est, & contra receptam reverentiam marito debitam. l. 24. §. 1. ff. soluto matrim. nisi dolo malo suam deminuerit substantiam, d. l. un. §. 14. C. de rei ux. act. Hunc enim, non culpam, præstare teneatur l. 9. ff. soluto matrim.

Th. XIII. Secundò quæritur, an maritus, qui dotem alii, quàm suæ, solvit; an v. uxor, quæ dotem ab alio, quàm suo recipit, gravius delinquat. Et videtur, quod uxor, quia hæc partum adulterinum familiæ inserit, eoq; marito ac toti familiæ



lia maximam facit injuriam, quod ipsa per mariti libidinem non patitur: & arg. est, quod propter uxoris stuprum ante nuptias ab alio passum divortium marito concedatur: non autem è contrario uxori ob fornicationem mariti ante nuptias, v. Carpz. p. 4. C. 20. d. 13.

Th. XIV. Causa accidentalis ipsius actionis sunt remedia marito debili subvenientia, quæ à Medicis & Pharmacopolis erunt petenda. Laudantur verò in sæpius all. Navig. novi orb. & quidem in nav. Ludovici R. Patric. lib. 5. c. 7. p. 239. Betoli folià: & contrarium effectum in Itinerario Persico Olearii habere legitur apud Persas Cahvva (schwarz Wasser) potus ex frumento (tritico nostro non absimili) Turcico coctus, adeò ut immoderatus ejus usus Venerem prorsus extingvat.

Th. XV. Causa efficiens solennitatum circa vel ante hanc actionem occurrentium est vel jus gentium, quod omnibus populis non brutorum instar coeundum; sed decenter conjugium ineundum esse persuasit: vel jus civile cum aliorum populorum: sic Cecrops Atheniensium Rex primus in Rep. Attica matrimonii autor legitur apud Justinum l. 2. per iud. Ante Deucalionis tempora &c. Et in Rep. Judaicâ leges Mosaicæ matrimonio certas solennitates præscripserunt. Tum populi Romani, quod jure utitur vel communi, Justinianéo sc., Canonico, Recessuum Imperii, aut si quid consuetudo introduxit: vel provinciali, ut nos Saxonico, in eorû præscriptas solennitates observat.

Th. XVI. Forma hujus actionis respicit (1) ipsam præcedentia, hæcque aut proxima, aut remotiora. Hæc sunt sponsalia, quæ cum cautione, ratam rem haberi, fiunt, de quibus t. t. X. de sponsal. & matr. & t. t. ff. cod. Copulatio & benedictio sacerdotis, Churfürstl. Sächs. Lands. Ordn. de Anno 1618, artic. general. wie es in Kirchen mit denen Pfarrherren

herren 16. 13. p. 137. Convivium & festa nuptialia: Sponsæ  
 ad lectum Sponsi deductio, & his similia, quæ brevitati stu-  
 dens jam omitto. *οὐκ ἐπιτρέψεται ἄλλοις εἰσελθεῖν μετὰ τὴν γυναῖκα*  
 Th. XVII. Quoad proximè præcedentia consideran-  
 dus est (1) consensus utriusq; tam viri, quàm uxoris arg. gl.  
 ad 6. 7. l. un. C. de rei uxor. act. in verb. ad successores. lit. n.  
 qui necessariò requiritur, ita ut etiam altera parte dissentien-  
 te extorquendus sit, arg. can. si dicat 1. Caus. 33. quæst. 5.  
 (2) Tempus hujus actionis instituendæ, quod determinatur  
 vel negativè, sc. exactionem dotis non celebrandam esse  
 annuam, bimam, trimam, arg. l. un. §. 15. C. de rei uxor. act.  
 necq; etiam diebus festis Can. sciatis. 1. & can. quotiescunq;  
 2. & seq. caus. 33. quæst. 4. aut jejuniorum, can. fratres 3. d.  
 caus. vel positivè, nimirum diebus juridicis l. 6. C. de feriis,  
 & intra annum p. d. l. un. §. 15. C. de rei ux. act. subintell. plu-  
 ries. Nihil enim certi determinat; sed relinquit arbitrio  
 mariti & uxoris, quod tamen ad arbitrium boni viri sit tem-  
 peratum. (3) Locus, qui non sit publicus, in quo immitte-  
 re haud licet. l. 2. ff. ne quid in loco publ. vel itinere, ne ho-  
 nestas offendatur; sed secretior; quemcunq; sibi idoneum  
 conjuges elegerint. Hoc electo sequitur (4) vestium depo-  
 sitio, (5) accubatio (6) ventris inspectio l. 1. §. 10. ff. de ven-  
 tre inspiciendo. Tangere tamen simul, cum inspicitur,  
 contra voluntatem uxoris non licet, arg. d. §. 10. verbis:  
 ne dum inspicit, invita muliere ventrem tangat. Sed quid,  
 si inspici se non patiat? Tunc Prætoris autoritas interve-  
 niet d. l. 1. §. 7. ff. cod. (7) Productio testium, *ἡ μαρτύρων, ἀλλὰ*  
*τῶν ὀφθαλμῶν;* & horum duo ad minimum requiruntur l. 12. ff.  
 de testibus; non obstante consuetudine pessima incolarum  
 Capo de bon Esperance, qui omnes puerulos altero testicu-  
 lo spoliant, ut ut tantum se posse uno gloriantur, quantum  
 nos duobus, refer. Oleario in Itinerar. Pers. (8) à parte uxo-  
 ris ac-

ris acceptilatio, cum marito debitori acceptum fertur  
(subintell. ab uxore instrumentum) dotis constituen-  
dæ causa l. 41. §. 2. ff. de jure dotium, h. e. cum ab uxo-  
re instrumentum mariti, quod pondere, numero, &  
mensura constat l. 1. §. 14. C. de re ux. act. & quod ma-  
riti periculo est, qui id ad arbitrium suum detrahat arg.  
l. 42. ff. de jure dotium, apprehenditur, eoque maritus  
monetur, ut dotem solvat. (9) Solutio matrimo-  
nii. Soluta enim matrimonio demum dos mulie-  
ri solvi debet per l. 2. pr. ff. soluto matrimo.

Th. XVIII. Formam ipsam actionem respicien-  
tem declarat quidem aliquo modo Dn. Carpz. p. 4.  
c. 30. d. 4. n. 2. verbis: & impositione membri virilis  
in vas muliebri; sed quoniam hæc altioris est indagi-  
nis, quàm in publico hoc conventu examinari possit;  
ideoque eandem usque ad examen rigorosum sepono.  
Præterire tamen haud possum, quod, cum in rem agi-  
tur, error nominis, quem forte fortuna lingua com-  
mittit, non vitiet actionem, si modo de corpore bene  
conveniat, arg. l. 5. §. 4. ff. de R. V.

Th. XIX. Respuimus verò hîc formam circa ri-  
tus hosce nuptiales (1) Canariorum, qui nullam uxo-  
rem, nisi prius à Principe defloratam, olim duxerunt,  
de quibus v. d. Navigationes nov. orb. in nav. Aloy-  
sij Cadamusti p. 9. (2) Incolarum regnorum Calechut  
& Tarnasari, quorum illi passim prostitutas: hi autem  
non nisi ab albicantis coloris hominibus compressas  
uxores sibi copularunt, de quibus d. Navig. c. 74. p.  
15. & in nav. Ludovici R. Patr. c. 4. c. 7. p. 238. & 239.  
& c. 8. p. 256. (3) Russorum & Moschovitarum, apud  
quos Sponso copia videndi Sponsam suam non datur,  
antequam post finitam à sacerdote benedictionem,

B

ad

ad ejus ducatur lectum. Tunc enim peplo deposito eo adventante surgens ad mensam cum eo confidet: deinde thalamum intrant: postea ad balneum: è balneo iterum ad lectum, & demum sequentibus diebus ad hospites gratulabundos sese conferunt, v. Olearii Itinerar. Persic.

Th. XX. Subjectum inhæſionis hujus actionis est res uxoria, quæ sc. instrumentum, per quod dos solvitur, recipit, arg. l. un. §. 3. C. de rei ux. act. l. 5. §. 4. & l. 6. ff. de reivind. Subjectum operationis est vel totale, totus sc. maritus ad rem intentus; vel parziale, nimirum supellex mariti, quæ est domesticum illud patrisfamilias instrumentum, quod neq; argento, aurove facto, nec vesti annumeratur l. 1. ff. de supellect. leg. sed ut liberum corpus nullam æstimationem recipit l. 1. §. corporum ff. ad L. Rhodiam de jactu. l. 7. pr. ff. ad L. Aquil. nec est in commercio, quia præter hoc, quod liberum corpus est, etiam ad sacra conjugii pertinet. Sacra enim non sunt in commercio l. 6. §. 2. ff. de rer. divis. nec alium usum extra eum, ad quem destinata sunt, admittunt. Aliàs autem in significatione latiori instrumenti appellatione tam testimonia, i. e. testes cum appertinentiis, quam personæ veniunt, arg. l. 1. ff. de fide instrumentorum: & legato instrumento continetur etiam is, cujus instrumentum est, arg. l. 13. §. 1. ff. de instructo l. instrument. leg.

Th. XXI. Ex dictis patet usus hujus instrumenti, qui maximè frequens & necessarius est; ab iisq; præcipuè exigendus, quorum fides non vacillat, l. 1. ff. de fide instrumentorum, h. e. qui plus non promittunt, quam præstare possunt, arg. gl. ad h. l. 1. in verb. vacillat. lit. f.

Th.

Th. XXII. Finis stipulationis alius est principalis, hicq; vel ultimus: nempe conservatio Reipublicæ. Interest enim Reip. dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse foeminas ad sobolem procreandam, replendamq; liberis civitatem maximè sit necessarium, l. 1. ff. solut. matrim. & l. 2. ff. de jure dotium: vel intermedius: procreatio sc. sobolis d. l. 1. & l. un. §. 10. C. de rei ux. act. Alius minus principalis, voluptas nimirum ex ista actione marito & uxori resultans.

Th. XXIII. Contrarium vel est à parte mariti, sc. retentio dotis, quæ tamen l. un. §. 8. C. de rei ux. act. severè prohibita est, & nec quidem ob res amotas concessa, §. 9. d. l. Nec obstat l. 1. ff. de jure dotium, quæ dotem semper apud maritum esse dicit. Intelligitur enim ratione possessionis, non ratione usus: Vel à parte uxoris, nempe rei uxoriæ amotio, ob quam rerum amotarum tenentur l. 11. ff. h. t. & si amplius renuat exhibere, potest maritus actione ad exhibendum, quæ est personalis, eiq; competens, qui in rem acturus est. l. 3. §. 3. ff. ad exhibend. eam ad exhibitionem compellere.

Th. XXIV. Hæc stipulatio alia est cum effectu, quando eandem sæpius iteratam liberorum procreatio sequitur: sive nascantur in initio septimi mensis l. 12. ff. de statu hominum, sive in octavo, sive in nono, sive in decimo, imò & undecimo arg. Nov. 39. c. 2. l. 7. ff. soluto matrim. Confer. D. Struv. synt. Jpr. ex. 3. th. 4. & D. Carpz. p. 4. c. 27. d. 14. cum aliis ib. alleg. Dd. Alia est sine effectu, cum sc. inutiliter facta est arg. l. un. §. 1. C. de rei ux. act. verb: Eodemq; modo & c. Notandum tamen hic, quod actus perfectus corroboret imperfectos, & inutilibus suam præbeat fortitudinem d. §. 1.

Th.

Th. XXV. Adjuncta stipulationis sunt basia, svavi-  
loquia, amabiles contrectationes & complexus arg. c. fra-  
ternitatis 6. X. de matrimo. contracto.

Th. XXVI. Et hæc sunt, quæ de rei uxoriæ & ex sti-  
pulatu actionibus confusis publicæ examinationi subji-  
cere volui. Maneat hujus confusionis jus ad successo-  
res, & sine mora immissionis incorruptum l. un. §. 7. C.  
de rei ux. act. quia ea conjungere satis humanum, satis  
pium, satis utile Imperatori visum est, §. 26. d. 1. in f.  
Quod de forma restat, aut si quid aliud minus plenè à me  
explicatum fuerit, de eo plenius sub Domino. Præside hæc  
nocte in examine rigoroso respondebo, quod sicut ma-  
ximo desiderio expecto, ita ut benè procedat, votis  
suspiriisque plurimis efflagito  
**PUNCTUM**



ULB Halle  
004 842 502

3



Za 2503 QK





23

1976

DISPUTATIO

REI UXORIE ET  
TU ACTIONIB

Amplissima Facultate

Invictissimo an

CUPI

dirig

sub Pro

PRÆCLARISSIMI

DN. TOBIÆ

J. U. C. ET

PRO LIC

ad maritalem promo

liberrimo Deæ Cyp

addi

*Festisq; Nuptialib*

*A. imperant*

Ad gaudia solennia

ventilanda

SPONSA R

VIRGO ET FORMA ET

REGINA S

*Typis mandata ab A*



RIED  
ENS.  
ALLE

